ARIAS MONTANUS

DAVID. 1575.

£6/1253/2700/£3500

Cat No. 7

BNT73T21



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christoph. Plantini, Architypog. Regij.
M. D. LXXV.

APPROBATIO.

Quadraginta octo hæc tetrastichà à Bened. Aria Montano in Dauidicorum exemplorum spectaculis decantata nihil habent S. Romanæ Ecclesiæ fidei contrarium aut reipub. offensiuum.

Sebastianus Baer Plebanus Hantverpiens.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Catholici priuata lege concessa est Philippo Gallæo *hoc Spectaculum Dauidicum cum 48. tetrastichis* in lucem edēdi & vendendi facultas citra vllius offensionem. vt patet ex literis datis Bruxellæ XV. Martij. M. D. LXXIIII.

Sign.

I. De Boodt.

PHILIPPO CATHOLICO HISPANIARVM &c. REGI OPTIMO ET PIISSIMO,

Philippus Gallæus Domino ſuo perpetuam felicit.

ENEDICTVM Ariam Montanum Regiæ tuæ aulæ ſacerdotem, Maieſtatisque tuæ miniſtrũ, cuius cõſuetudine benignè admodum vſus iam diu ſum, ſæpè narrantem affirmantemque audiui, nullum ex omni veterum vel memoria vel fama principem aut aliàs illuſtrem virum extitiſſe, qui vel rebus in pace & in bello geſtis, vel animi dotibus, vel ſapientiæ & præclariſſimarum artium exemplis cum vno Dauide Ieſſei filio Iſraëlitici populi rege eſſet comparandus. Quod cùm ille commemoratis non modò antiquiſsimis Regum, Imperatorum, Principum, Ducum tam Græcorum, quàm Romanorum

hiſtoriis, verùm etiam poëtarum fabulis, quæ de illis qui vel falsò dij, vel meritò heroës appellati fuerant, compoſitæ ſunt, non obſcurè doceret, tandem confirmabat, non ſolùm ſingulos ex iis, qui vel propriis virtutibus ac geſtis, vel ſcriptorum ingeniis & eloquio apud gẽtes celeberrimi euaſere, ſed omnes in vniuerſum ſimul coniunctos ab vno Dauide longè ſuperari. Quæ Montani ſententia mihi ſæpius excepta adeò placuit, animoque inſedit meo, vt hoc vnum argumentum, inter ea, quæ ſelectiſſima exiſtimaueram, cum primis digniſſimum arbitratus fuerim, quod Chalcographicæ artis mihi pietatis cũ primis colendæ cauſa comparatæ & exercitæ diligentia & induſtria expreſſum & exornatum ad piorum, & Catholicæ religionis ſtudioſorum vſum & oblectamentũ exhiberem. idq. cùm ſuperiore anno cœpiſſem, non omnino per ſingulas partes explicatũm, (namque hoc longiſsimi operis & otij fuiſſet) ſed tum iuſtis & maiuſculis imaginibus demonſtratum, tum verò

verò proſpectiuæ ope lõgiùs etiam indicatum tabulis octo & quadraginta in breue coactum tandem conſpiciendum iis expoſui, qui ſanctorum librorum ſacraria adeuntes, quid in vita honeſtum ac pium, atque ad res publicè priuateque rectè gerendas, demumq. ad animorum ſalutem vtile oportunumq. ſit, cognoſcere ac diſcere cupiunt. Illis enim ego pro tenuitatis meæ ratione ac modo hunc ſacri ſpectaculi locum quibuſdam veluti aulæis exornaui. quæ quamquam à me vtpote paupere, rudiori, leuiorique materia parata fuerint, poterunt pro præſtantiſsimi cuiuſque viri facultate & ingenio vel lanea vel holoſerica, vel argentea & aurea, gemmis etiam intertextis ſplendentia confici, multis præterea artis & elegantiæ partibus augeri & amplificari. Nobis verò ſatis viſum fuerit ea præſtitiſſe, quæ pro tempore contigêre. Huius autem opuſculi munuſculique mei primum & potiſsimum ſpectatorem

te, Philippe Rex optime, mihi ipſe ab initio propoſui ac delegi, idque ſummo iure, quippe quo vt nullum in terris ſuperiorem nec certiorem mihi dominum à Deo conſtitutum agnoſcebam, ita nullum eſſe intelligebam, cui regis omni laborum ac virtutum genere exercitatiſsimi exemplum magis aptè conueniret, quàm tibi Principi maximis dotibus ornatiſsimo ſimul ac piiſsimo, qui ſolus, ex quo regni clauũ tenere cœpiſti, diuino auxilio adiutus tot maximas ac difficillimas res ſuſtines, & partim cõponis & partim firmas, cæteras, vt ſperamus, ad Dei gloriã inſtauraturus ſis, ita vt omnis orbis non abſque admiratione affirmet, vniuerſum ferè catholicæ religionis põdus tuis humeris in hac turbulentiſſima humanarum rerum tempeſtate fuiſſe diuinitus deſtinatum, adeò vt alter nobis Dauid extitiſſe videatur, qui Iſraëliticas, hoc eſt populi Dei res domi & foris curet ac tueatur. Hæc autem exempla à

ſubdito

ſubdito Maieſtati tuæ deuotiſſimo nomini tuo dicata ſi digna exiſtimaueris, mente gratiaq́. tua & benignè inſpicienda duxeris, oblectamentiq́ue oportuni nomine probaueris, huius deditiſſimi ſerui tui animum ad maiora & ornatiora artis ſuæ opera incipienda atque inſtruenda excitabis, meq́ue ex humili magnum artificē vel ſola iſta gratia, qua complures in omnibus diſciplinis & artibus promouiſti, perficies. Vt verò opus ipſum à me vtcumque elaboratum tibi magis placeat, eiuſdem Ariæ Montani (quem tibi gratum miniſtrum eſſe omnes prædicant) inſcriptionibus explicandum, & oportunis ad vtilitatis rationem obſeruandam carminibus exornandum curaui. Tui igitur beneficij ſummi in me collocandi fuerit, munuſculum meum benignè excipere; mei verò officij Maieſtati tuæ deuotiſſimè ac fideliſſimè ſeruire, Deumq́ue aſ-

fiduis precibus orare, vt Maiestatis tuæ negotia omnia feliciſſimo ſucceſſu,& Dauidis regis rebus geſtis beatiſſimo exitu ſimillima efficiat. Antuerpiæ, Kalend. Martij, Anno M. D. L X X V.

DAVIDI REGVM PRÆSTANTISS.
BENEDICTI ARIÆ MONTANI
DEDICATIO.

QVIDQVID ad exemplar vitæ ingenijq́ probandi
Fabula composuit, vel dedit historia;
Quidquid in humanis fuit admirabile rebus
Quas bene culta fides promouet ac pietas:
Vnus Jessiades verum propriumq́ probasti
Præsenti instructus numinis auxilio,
Quæ breuibus memorata tuus spectanda theatris
Exhibet è puro pectore discipulus.
Otia contingant, optata & copia mentis
Magnæ, & sit voti spes mihi certa boni;
Ipse ego componamq́ tuos veterumq́ labores,
Et referam numeris ponderibusq́ suis.
Et quanto cunctis præstare videbere, tanto
Vatibus ipse aliis vtiliora canam.

Jeſſiada laudes puero meditante, paternum
Et pecus, et volucres, et ſtupuere ferę;
Ipſe pater ſuperum dixit, meus hic, meus eſto;
Hic paſcat noſtros inſtituatque greges.

Qui puer immanes urſos rabidosq; leones
Strauit, ſecurum iuſſit et ire gregem,

Quę ſibi pro patrijs adeunda pericula ſacris
Viribus et quantis exuperanda putet.

Deliritur dignus, quamuis neglectior ipse,
Despectus quamuis sit sibi, sitque suis;
In tenebris iaceat vulgo non agnita virtus
Extabit tandem vindice fulta Deo.



Cum primũ monſtrata petens ſubit ardua virtus
Difficilem fortis ſuſtinet inuidiam.

Nec ſatis eſt ſentire hoſtes aliena profeßos,
Infensam propriam ſentit et illa domum.

Nuda fides ut monstra donet, non indiget armis;
Arteis humani damnat et ingenij.

Difficilesq; subit casus, atque ardua tentat
Tecta, uno studio præsidioque Dei.

FIDEI VICTORIA.

Mole graui et ſubito caſu magnis ruit auſis
Vis expers ſensus conſilijque pij.

Hanc victrix pietas ſternitq; trahitq; triũpho,
Non iactare minas docta, ſed efficere.

Inuisę superis Vires animique minaces
Scilicet ausa ferox orsa mouere nefas.

Monstrum horrendũ ingens iuuenis Virtute modesti
Concidit, expedit hoc milite bella Deus.

C. H.

Virtus vera bonos æquat, sanctoq; ligatos
Coniungit certę foedere amicitię.

Participesq; facit vitę sociosque laborum
Communi tutos viuere consilio.

Officiosa pij valde ac studiosa iuuantis
Virtus, lœtali excluditur invidia.

Dura hominis mens est, ac sancto ingrata labori
Sed Pietas comites excipit alma suos.

Propoſito imperioſus Amor ſubnixus honeſto
Nil non promittit, nil ſibi non ſuperat.

Tutantemq; pios, et noxia monſtra domantem
Aſpiciens cælo promovet ipſe Deus.

Emeritos tandem virtus contingit honores
Quos inuita probat quamlibet invidia.

Principibus par iusq; viris, par regibus astis
Obtinet, obscurum nobilitatque caput.



Alterius recte gestis et fortibus ausis
Inuida mille modis vritur ambitio.

Necretinet pietas, generis neq; cura nocentem;
Sed fugit hanc sapiens, prospicienſq; cauet.

Præsidium firmum valli ac tutissima præstat
Munera, quam pietas iungit, amicitia.

Hæc videt occultum, curatque docetq; periclum,
Et subit, ut socium liberet, ipsa minas.

Nuda et inops pietas, non vim, non perfida fraudis
Sed petit æterni munera consilij.

Arcanis Deus hanc donis vulgóq; negatis
Et iuuat et saturat, et bonis amplificat.



Crimina dira odij, vim, ſpem, ſtudiumq; nocentis,
Eludit pietas, caſibus in ſubitis.

Viua fides maneat, trepidis ſolertia rebus
Deſeret hanc nunquam deſtituetve comes.

Excipit et miseros virtus, comitesq; tuetur
Exceptosq; bonis instruet officijs.

Hanc tenet exercens pietas et cura suorum
Illis docta prius quam sibi consulere

Sancta fides iunctos animos confirmat, et arctis
Innodat sacri nexibus officij.

Sponte bonum petit atq; colit, creditq; supernis
Legibus, et præfert quem Deus antetulit. E iiij

Afficit exiguos animos, mentesque minutas
Vltio, magnanimis non bene grata viris.

Non est ut possis inimicum perdere tanti
Quanti animam ut sospes debeat ille tibi.



INGRATA AVARITIA

Et res et tutas animas fiducia ſeruat,
Vicinus fortis cum ſubit atque pius.

Innocuos tamen irritat vicinus auarus,
Accepti et ledit non memor officij.

Excipit incensos irarum fulminis ignes
Prudens sermo pio sedulus obsequio.

Pectoris ingenui feruor placatur honestis
Et gaudens cedit vocibus ac monitis.

Inuidiam, fraudes, consulta iniusta minasq;
Quis putet officijs vincere posse bonis?

Poemituit fortem nullum potuisse querelas
Vlcisci propria, nec voluisse manu.



PIETAS ASSERTRIX

Ira, dolorq; pius, prudentia, spesq; fidesq;
Prælia pro natis coniugibusq; adeunt.

Excipit instructũ his animũ victoria pulcra,
Quam neq; auara notis inficit inuidia.



Appetere haud mirũ eſt; nocet at retuliſſe cupita :
Sed magis eſt mentem non domuiſſe graue.

Diſcrimen tolerare ſuo pro principe, pulcrũ eſt :
Pulcrius at cum Rex hoc cauet ipſe ſuis.

Relligionis amor feruens, et publica cura
Priuata haud curat cõmoda et inuidiam.

Perpetuo est dignus regno, qui ferre labores
Et casus damnis pretulerit patriæ.

Certa Dei promiſſa probat, quem ſpesq; fideſq;
Excercent ſtudijs obſequijsque pijs:

Nil hoſtis, nil damna obſunt, nil tempora longa,
Quicquid erit, dictum conſtat opusq; Dei.

GM

Bella, inimicitias, dãnum, discrimina plura
Sustinet, et perfert mens bene certa viri:
Posse probare tamẽ negat hęc fraudẽue dolumue
Et commenta mali callida consily.

Exagitat furiale nefas fera pectora et urget
Per facinus magnas quærere amicitias.

Conscia sed recti mens detestata scelestos
Ausus commerito vindicat exitio.

Tandem victa hominũ inuidiosa superbia iusto
Consilio cedit iudicioque Dei.

Dãnarant quicunq; pium, laudaſſe priores
Optant. Virtutem gloria certa manet.

Sūmus honor ſeruire Deo, mētemq; miniſtrā
Aptare hoſpitijs officijsque bonis.

Vltrices iras contra temerarius auſus,
Dedecus expectet ambitioſus honor.



Non oblata Virum mouet alta potentia iustũ
Antique ut rumpat vincula amicitię:

Nec regnare adeo gratũ est, ac posse iuuare
Quos amat, aut quorũ pignora grata fouet

Eheu quam leuibus valide quam maxima figit
Corda virum telis insidiosus amor!

Quis putet in medijs tutum se sistere flammis?
Longè vise urunt, aspicere ergo nocet.



Prima bona integritas vitę, variſſima quamq̃,
Sed curanda pijs et capienda viris.

At ſemel in morbū lapſis, hec proxima ſit laus
Auſcultare boni conſilijs medici.

Improbitatis opes, iniusta potentia, magno
Et subito casu precipitique ruunt.

Hostibus extinctis surgit domus alta piorum,
Atque nouis spolijs, diuitijsque nitet.

Publica prospicere haud satis est, sed moribus atq;
Legibus est puris instituenda domus.

Cui leue natorũ fuerit scelus; ille videbit
Exempla et sobolis funera dira sue.

Virtuti coniuncta patrũ, exemplisq; seueris
Et iuuat et confert consilij grauitas.

Quid non molitur malè confirmata iuuẽtus,
Tam faciles credit cum sibi habere patres.

Maxima ciuilis belli ac deterrima peſtis
Cum interna flagrat ſeditione domus.

Non tamen eſt uſus leuis hinc vt certus amicos
Intrr noſſe queas, quę tibi ſumma quies.

K iii

Naturę mirãdus amor, durißima perfert
Pondera, et offensas ſuſtinet uſq; graues.
Quoq; magis tener eſt, magis atq; urgetur, et arcte
Stringitur, hoc adeò rumpitur ille minus.

Kum

Aetas, forma, genus, decor, ãplaq́ copia rerum,
Plausibus et populi gratia mobilibus.

Hęc homines vt magna probãt: sed desit honestas,
Precipiti certum est hęc ruitura gradu.

L

Inuidia infelix varij ac dementia vulgi
Sepius ignauo fracta pudore cadit.

Prestantis tamen est animi, nec frangier istis,
Nec meritam fractis velle referre vicem.

Et ſolet in mediȳs iuſtum vexare triūphis,
Stultitia infeſta prȩcipitique manu;
Sed ſpumante malo, necdum feriēte, furens ſe
Flatibus effundit perdit et ipſa ſuis.

L iii



Lenta Dei, haud oblita tamen premit ultio sontes,
Nec patitur comites criminis effugere.

Hanc princeps bonus et prudēs quocūq; periclo
Expiat, ut populis prospiciat miseris.

Poſcunt iura modum; clari hę ſunt principis artes
Noſcere quid leges, quid moneat pietas.

Crimina ſupplicijs ſatis eſt expleſſe nocentem,
Seu ſua ſiue patres quę meruere luat.

M

Non bene miſcentur pietas, humanaq; rerũ
Auxilia, hęc dispar ius ratioq; fouet.

Auctorem certum refert nouiſſe bonorũ,
Laudis riualem non feret uſq; Deus.

M.

Errores nouisse suos, errata fateri
Et fugere, optandi ianua certa boni est.

Proxima sed laus est, pene haut prescribere finem;
Sed petijsse, modum figat ut ipse Deus.

Et iuuat et placat Princeps retinetq; litando
Pro populo faciens solicitusq; Deum.

Regius ille animus, mauult qui seq; suosque
Perdi, quam miserum posse perire gregem.

M iiij



Diuitias et opes Pietas lectissima in usus
Vnica commendat, cum petit ipsa suos.

Quis prudens mihi Rex? qui prospicit undiq; ut unus
Sit cultus populis, imperiteq; Deus.

Tutius et melius cura ſumptuq́ minori
Complebis proprium conſtitueſq́ locum.

Conſilium inſipiens duros uanoſq́ labores
Experiere, Deus te niſi promoueat. N.

Munere ſuſceptam bene, rem geſsiſse beatū eſt;
Laudandam et ſuperis ædificaſse domum.

Sed numeros implet cunctos cui contiget heres
Et ſtudij pātrij compos et officij.

FINIS.

SPECIAL 87-B
3512

THE GETTY CENTER
LIBRARY